DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
SISTENS
EXAMEN
SVCCEDANEORVM QVORVNDAM
CORTICIS
PERVVIANI FEBRIFVGI,
QVAM
AVSPICE SVMMO NVMINE
ET
CONSENSV GRATIOSÆ FACVLTATIS MEDICÆ
SVB PRÆSIDIO

DN. D. JO. HIER. KNIPHOFII,
ANAT. CHIRVRG. ET BOTAN. PROF. PVBL. FAC. MED. ASSESS. ORD.
ACAD. CÆSAR. NAT. CVRIOS. COLLEGÆ,

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS
ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS
LEGITIME IMPETRANDIS,
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

THOMAS VOGT,
LENGEFELDA-EISFELDENSIS.

H. L. Q. C. A. S. R. MDCCXLVII. D. X. JAN.

ERFORDIÆ,
Typis JOH. CHRISTOPH. HERINGII, Acad. Typogr.

ſpecie, febres quaſcunque pellere, & commodum, & validum, & aptum ſit oportet.

§. III.

Cortex chinæ. *Cortex peruvianus*, auſpicato in noſtras terras advectus, princeps & primus hic allegari poteſt. Recentiores Medici ejus virtutem in omnibus fere febrium ſpeciebus ſummopere deprædicarunt, ut ſcripta quorundam, præterea ſatis clarorum, ſi perlegeris, verborum declamatoria fucatam arte panegyrin, neutiquam vero librum, decenti ad inſtruendum dictionis genere conſcriptum, perlegiſſe crederes. *Neque nimis laudandus; neque plane rejiciendus.* Nos neque laudibus immeritis corticem onerabimus; neque more quorundam, tanquam ineptum hiſtrionem, exſibilabimus; neque odio hereditario, quod cum primis inſtitutionum rudimentis ſuxerunt complures, extra cancellos ſalutaris projiciemus artis, regulam iſtam, quæ non ad devia ſinit deflectere, præ oculis habentes: Medio tutiſſimus ibis.

§. IV.

In genere fibras carnoſas roborantia plurimis conveniunt morbis. Ante omnia præmonere placet, quod remedia, quæ fibris præſertim ventriculi & inteſtinorum, robur addere, & ſpaſmis a debilitate fibrarum antagoniſtarum, ſive ab influxu ſpirituum in unam fibrarum vel muſculorum denegato vel aucto, vel ab aliis cauſis oriundis, mederi poſſunt, fere omnibus conveniant morbis; *Maxime febribus.* præcipue vero febribus, quarum ratio utplurimum in dictis cauſis hæret, vel ſaltem ab iis fovetur. Hoc adeo verum eſt, ut, qui duumviratui Helmontiano potiores fere partes in œconomia animali ſtomacho deferenti favent, cæteris paribus, non infelices ſint Practici.

§. V.

§. V.

Febres, in quibus cum fructu corticem adhibitum fuiſſe a viris ſpectatiſſimæ doctrinæ, prudentiæ, experientiæ, adeoque fide digniſſimis compertum eſt, ſunt 1) Febris *variolarum malignarum*. Dn. MONRO, vir ob plura in re Medica edita ſpecimina, præcipue vero ob injectionum Anatomicarum, quas docuit, dexteritatem, notiſſimus, in *Actis Edimburgicis Tomo quarto*, affirmat, ſe in malignis variolis, inſtante jam ipſo corruptionis gangrenæque metu, optato & felici, parique in omnibus malignis ulceribus atque ſphacelo, quod in Scotia vulgo fieri conſueſſet, *cortice* uſum fuiſſe eventu. Comparans enim optime morbos inter ſe, dedit cuidam ægroto illum, qui convaluit. Cum vero infantes, quos malum hoc præcipue adoritur, difficulter ad aſſumendum adigantur pulverem, qui tamen Extracto & Decocto præfertur, optatum eventum a clyſtere cum lacte & cortice diaſcordioque vel exigua quantitate ſyrupi papaveris, ut ſibi promiſit, expertus eſt. Non tamen alia remedia variolis idonea, illisque leniendis congrua, ut ſunt temperantia, excretionesque promoventia, omittenda eſſe, cenſeri poteſt: placet hac in re monitum Practicorum exercitatorum, qui ſuadent, in febribus malignis & inflammatoriis curam eo eſſe dirigendam, ut a cortice curabiles evadant.

Tale eſt cortex chinæ, qui utiliter fuit adhibitus in variolis malignis.

Præmiſſis temperantibus & excretiones promoventibus.

2) *Morbilli.* In his æque ac in variolis a *Richardo* MORTON in *Pyretologia P. II. p. 122. Edit. Genev.* declinante malo *cortex* laudatur, cum ſcilicet febris, poſt expulſum venenum, typum tantum febris continuæ remittentis adhuc obſervat. In hoc typo, qui, ut inquit,

in Morbillis.

ad typum extinguendum. quit, in variolis prope ad malignas accedentibus fere ſemper obſervatur, ut alterna remiſſio & exacerbatio adſit, curationem nulla methodo aut remedio certius ac felicius abſolvi adſtruit, quam celebri Antidoto, *cortice* ſcilicet *peruviano*, qui reliquias veneni ſubigit, & recidivas præcavet, & quidem ſine quovis ærumnoſo ſymptomate ſubſequente. Rationem, illum in hoc morbi ſtadio exhibendi & cautelas, videbis apud eundem Auctorem, qui a celeb. WERLHOFIO injuſte immeritoque vapulat, quod Synochæ nomine ſemper perperam uſus ſit, quæ ſcilicet non periodice, ſed uno tenore affligat: dicit enim MORTONVS *p. 123.* expreſſe, in variolis vere malignis febrem, ſynochæ ſpeciem induentem, unum ſervare tenorem, ſynechinque benignam, quam alii continuam, opponendo illam continenti, appellant, exacerbationibus & remiſſionibus periodicis inſigniri. Vide & *P. I. p. 107.*

in Peſte benigniori. 3) *Peſtis benignior.* Facultas Medica Neapolitana *Corticem Peruvianum* in Peſtis cura egregie proficuum judicavit, & illum inter alia ingruenti malo opponendum, ſanandisque, quos attigerat contagium, crevit. Refert hoc *Sebaſt.* BADIVS ſ. *Baldus* in libro, qui inſcribitur: *Anaſtaſis Corticis Peruviani, Genuæ 1663. 4.* quem oppoſuit *Vopiſco* PLEMPIO, *Medico Amſtelodamenſi*, qui illum in libro ſuo Anno 1666. edito ad exequias *corticis* invitaverat, recidivas trium vel quatuor ægrorum, cachexiam inde venientem & phthiſin pro ſua ſententia allegans. In peſte mitiori, ubi bubones, parotites vel carbunculi non adeo ægre ad maturationem & ſeparationem deducendi, apparent, poſtque hæc ſymptomatum

matum alternans exacerbatio & remiſſio ſequitur, ex eodem fundamento, quo morbi (nro 1.) allegati curationem a cortice ſuſcipiunt, concedi, declinante morbo, is poterit, ad naturam roborandam & recidivam arcendam.

declinante, ad tonum viſceribus reſtituendum.

4) *Dyſenteria.* Hic ſane eductis educendis, & primis viis, ſi in iis vitioſorum humorum a diæta perverſa ſit colluvies, repurgatis, & temperantibus leniter, ſimul reſolventibus adhibitis, idem præſtat, quod cortex *Simarubæ*, qui in noſtris oris ob principii volatilis defectum, ex abſentia lacteſcentis ſucci, quem in aqua ebulliente coctus alias exhibet, teſte Domino de JVSSIEV, & amaritiei, cujus loco acerbus, effœtus magis eſt; Idem etiam præſtabit, præmiſſa, ſi opus ſit, *Ypecacuanha;* vel, ſi nulla ad vomendum adſit proclivitas, *Rhabarbaro,* quod decoctum ſecundum *Ypecacuanhæ,* (quod Galli exhibent in Dyſenteria, poſtquam primum decoctum vomitum ciens præbuerunt,) vel & cortex *Caſcarillæ,* tantopere a nonnullis ad dyſenteriam laudatus. Præter alios citatum *Richardum* MORTON iterum allegare licebit, qui *p. 161. P. II. pyretologiæ edit. Genev.* inquit, ſe ſollicitum fuiſſe de remedio febrifugo, quod febrem, etiam dyſenteriæ comitem, compeſcere poſſet, cum obſervarit, miſeros ægrotantes, non obſtante diligentiſſimo remediorum antidyſentericorum uſu, ſæviſſimis ſymptomatibus confectos tandem ad orcum cacaturientes deſcendiſſe, adeoque *corticem* cum *Laudano* commixtum dediſſe bono cum eventu, & quidem in illo malo, ubi remiſſio & exacerbatio alterna obſervabatur. Monere placet, quod *Laudanum* liquidum SYDENHAMII adeo naturæ ob analeptica ſimul ingre-

in Dyſenteria, idem præſtat, quod Simaruba, præmiſſa Ypecacuanha vel Rhabarbaro, ad febrem comitem compeſcendam.

dientia

dientia amicum, cum *rob. ſambuci* & *ſyrupo appropriato* more HOFFMANNIANO, ut in omnibus caſibus, ubi opus eſt cortice, ita præſertim hic in Electuarium redactum optime quadret.

in febribus continuis. 5) *Febres continuæ* remiſſione quadam conſpicua gaudentes, putridæ nonnullis dictæ & magis adhuc intermittentes, peripnevmoniæ, pleuritidi, aliis inflammationibus, empyemati aut exulcerationi pulmonum ſupervenientes. (V. GEOFFROY *de Materia Medica Tom. II. Sect. I. edit. Pariſ. Gall. p. 331.*) Hic vero, ut in omnibus prædictis & adhuc commemorandis malis, appropriatis jungi debere *corticem*, quivis prudens videt, ſaltem, ut notat modo laudatus autor, paroxyſmum ſuſpendi, ut aliis remediis agi contra morbum tanto aptius queat.

in hectica 6) Hecticæ. In his nonſolum citatus MORTON, ſed & B. *Frid.* HOFFMANNVS, Medicorum quondam coryphæus, in ſcriptis adhuc vivens, in *Medicina rationali ſyſtematica T. IV. P. I. p. 574.* & D. D. WAGNER, *Lubecenſis, in Actis Nat. Curioſ. 1744. p. 154. corticem* ſuaſit, præſertim, ſi ab hæmoptyſi, debilitate & rhevmatiſmo, vel & febribus intermittentibus, a quarum curatione minus legitima, & nimis diu protracta, plurimas hecticas progenerari primus ſcribit, ortæ ſint. Et *Rich.* MORTON ortam ex febribus intermittentibus

& phthiſi. *phthiſin* ſolo cortice curatam, *phthiſiol. c. 12. p. 127.* ait, quæ nullis aliis remediis ceſſerit; quod idem teſtatur Celeb. WERLHOFIVS *in Obſ. de febribus p. 54.* Phthiſin ex arthritide & rhevmatiſmo *c. 2.* & hæmoptyſi *c. 5.* contractam, ſalutari & proficuo *corticis* uſu repulſam;

ſam, certe lenitam. Quin plures egregii practici in eo conveniunt, quod levamen hoc attulerit remedium, ut functionibus conſuetis per plures annos adhuc vacare potuerint hoc malo affecti. Diſtat quidem aliquantum hectica febris a phthiſi, quod in phthiſi ſibi relicta nec conſummata, calor & reliqua ſymptomata febrilia non adeo ſint vehementia; ſed gradus non mutat eſſentiam rei & maximam affinitatem amborum malorum.

7) *Febres intermittentes*, tam ſimplices, quam compoſitæ ex continua & intermittente; excepta febre ſemitertiana ſive acuta inflammatoria cum intermittente juncta, ubi demum poſt acutæ debellationem cortex dandus eſt. Vide omnino plures & cautelas & obſervationes in WERLHOFII aureo *obſervationum de febribus* libro, præſertim p. 50. ſeqq. ut & in *Fr.* TORTI, *Medici Ducalis Mutinenſis, therapevtice ſpeciali ad febres quasdam pernicioſas, una vero china china, peculiari methodo ſanabiles &c. Mutinæ 1732.* Quibus, ſi vacaret, quamplurimos alios probatiſſimæ cuique notæ Medicos, ſi auctoritate uberiori vellemus nos fultos, addere poſſemus.

Febribus intermittentibus.

§. VI.

Hæc omnia § præcedenti adducta eo tendunt, ut demonſtrari poſſit, *febrifugum*, quod jure hoc titulo inſigniri debeat, omnibus febribus, ſub certis circumſtantiis & præmiſſis præmittendis, cum appropriatis remediis ſociatum, accommodum eſſe debere. Nunc vero, ut eo, quo decet maxime, progrediar ordine, ex principiis chymicis, cum ſapore, odore & experientia

Febrifugum omnibus febribus accommodum eſſe debet.

Practicorum comparatis, eruendum erit, an *cortex chinæ chinæ* præferendus ſit aliis *corticibus*, vel *febrifugis*, quæ nominatim ſunt: *cortex hippocaſtani, fraxini, pruni ſylveſtris, nuces cupreſſi, gallæ, gentiana, chamomilla, cortex caſcarillæ, crocus martis antimoniatus Stahlii ſ. Magneſia rubra Teichmeyeri* & plura alia, quibus hac vice, ſpatio temporis exiguo præpeditus, lapidem lydium nec adhibere, nec accuratiori diſquiſitioni & probationi ſubjicere queo.

Chinæ ſuccedanea

§. VII.

Chinæ principia conſtitutiva.

China Chinæ analyſi chymica examinata a Dn. GEOFFROY, Regiæ ſcientiarum Academiæ Pariſinæ ſocio, dedit ex unciis quatuor & ſemis ejus groſſo modo pulveriſata unciam unam & drachmas quatuor cum ſemiſſe phlegmatis acidi; cujus priores partes ſimplex tantum referebant acidum, poſteriores vero non acidum ſolum violentum, ſed & alcali urinoſum; licet hoc, ut alibi dicit, in perexigua quantitate. Mutavit enim tincturam Tourneſol in colorem rubrum, & turbavit, inque lac convertit ſolutionem ſublimati corroſivi, præcipitato ſimul pulvere albo. Prodiit dein drachma i. & gr. LXVIIj. olei ſpiſſi inſtar pinguedinis porcinæ. Materia nigra in retorta reſidua calcinatione reducta fuit ad pondus drachmæ unius & gr. XV. & per elixiviationem dedit drachmam ſemis ſalis alcalini fixi, de natura ſalis ſalſi participantis.

§. VIII.

Analyſis coram Academia Regia ſuſcepta.

Analyſis hæc, ut omnes aliæ, ad bis millenas accedentes, ſine dubio coram Academia Regia vel ab ipſo GEOFFROYO, vel ab alio ſocio, inſtituta fuit, adeoque illi

illi merito fides habenda eſt, cum plures plus videant, quam unus. Dubitationem vero, an ipſe GEOFFROY illam inſtituerit, ea ratio ſuggerit, quod ſine citatione Monumentorum Academiæ antiquorum, ubi Analyſes tam plantarum, quam animalium & nonnullorum mineralium inveniuntur, multas alias etiam in *Tr.* ſuo de *Materia Medica* ſubminiſtret, quæ certo ibi extant; complures contra, quæ ad cognoſcendam plantarum naturam maxime conferrent, quid? quod quibus ægre caremus, plane omittat.

§. IX.

Facultatis Medicæ in Academia Halenſi ocellus Dn. D. & Prof. BOEHMER *in Diſſ. ſua inaugurali de cortice Caſcarillæ, Halæ 1738. excuſa, p. 31.* e libra una Corticis Peruviani combuſta, ſoluta & inſpiſſata, drachmam ſalis alcalini proveniſſe, dicit, cum tamen ſecundum § ſeptimum calculo inito, e libra una, drachma una & ſemis cum granis xvj. provenire debeat. Aut igitur cortex in ſubſtantia differebat, aut operatio ab altero, prudentiſſimo alioquin ac circumſpecto, minus recte inſtituta fuit. Prius probabile fit ex eo, quod B. D. NEVMANNVS itidem e libra una (ponderis ſine dubio Medici, cum BOEHMERVS civile in principio indigitet) tantum ſcrupulos duos ſalis alcalini obtinuerit: Permagnam enim differentiam hujus corticis eſſe, ejusque ſumma cum cautione delectum habendum, cuique patebit, cum tres diverſas ejusdem ſpecies ego oſtendere, adeoque probare poſſim, ſingulas ſingulis invicem differre forma; optima tenuiori, viliſſima

a Celeb. Bœhmero inſtituta.

 craſſio-

craſſiori. Poſterius deciditur per §i præcedentis primas lineas.

§. X.

Reſina diverſo pondere obtenta. Eadem differentia apparet in extractione reſinæ e *chinchina.* BOEHMERVS enim ex unciis quatuor triplici ſpiritus vini infuſione ſolutis, obtinuit Extracti ſpirituoſi (ſive quod idem eſt reſinoſi) unciam dimidiam; NEVMANNVS vero e libra una drachmas decem & ſcrupulos duos Extracti reſinoſi primi; diſſertiſſime GEOFFROYO affirmante, fere quartam partem reſinoſæ ſubſtantiæ illam dare, ſi menſtruo convenienti extracta fuerit, ni ſub hoc ſpiritum quendam acidum dulcificatum, particulas terreas ſimul ſolventem, intelligat, quo tamen uſum fuiſſe, nullum alibi extat indicium.

§. XI.

Hujus origo. Reſina hæc (§. 10.) provenit a combinatione partium acidarum & oleoſarum (§. 7.) in cortice reperiundarum, conf. *Nehem.* GREW *theoria vegetationis p. m. 271.* videmus enim, permixtione ſpirituum acidorum quorumvis concentratorum, cum *oleis deſtillatis* fere omnibus, ut *oleo therebinthinæ*, *ſuccini*, *lavendulæ*, *ſpicæ &c.* poſt ingentem cum intolerabili fere fœtore fumoque ortum calorem, prodire, abacto prius humido ſuperfluo, reſinam, & amaritie & ſolubilitate in ſpiritu vini cognoſcendam.

§. XII.

Calcinatio quales partes auferat. Id, quod calcinatione §. 7. perditum fuit, particulæ erant terræ oleoſis & ſalinis quibuſdam cinctæ, & ab oleoſis leviores volatilioreſque redditæ: terra enim

per

per ſe nullo igne, niſi vitrorum cauſticorum, & ne tunc quidem adeo facile, in auram abigi poteſt. Adduxi hoc ea propter, ut ingens ſtatim appareat differentia inter particulas conſtituentes *corticis chinæ* & *crocum martis antimoniatum Stahlii;* liberum aliis relinquens judicium, utrum magis conducant medicamenta, quæ reſina balſamica (§. 10.) & particulis terreis gummoſis oleoſisque cinctis & ſic mitibus in adſtrictione redditis; an ea, quæ fixa plane & activis principiis magis orba ſubſtantia gaudent. Prudens nihilominus Medicus, (permeditato & conſulto, qui probe attendi id velim, dico prudens) ubi adſtrictione majori & præſentiori opus eſt, hoc etiam, ut omnibus aliis, alias innocuis medicamentis, uti poteſt *croco*, neutiquam vero inde comparandum cenſebit in adſtrictione eum cum *cortice;* quod enim *crocus martis* præſtat, id omne denſitate ſua ingenti, rigiditate, & figura particularum aſpera, nec non pauciſſimis particulis ſalinis calcareisque, quæ a præparatione cum nitro & ſale tartari remanſerunt, efficit. Quid? quod, niſi totus fallor, verendum, ne, ſi acidum ſit in primis viis corporis humani, vitriolum quaſi quoddam oriatur.

qualia adſtringentia præferenda.

§. XIII.

Commune hoc habet *cortex chinæ* cum aliis corticibus, præſertim illis, qui febrifugi habentur, uti *cortice hippocaſtani, pruni ſylveſtris, fraxini* & cum *gallis*, quod cum infuſo illius æque, ac cum infuſo horum, atramentum quoddam, ſive color niger mediante vitriolo poſſit produci, cum reliquis vero vegetabilibus §. 6. adductis, non æque ſuccedit.

Chinæ infuſum vitriolo admixtum atramentum producit.

 §. XIV.

§. XIV.

Chinæ ſapor, Sapor *corticis chinæ chinæ*, ſi genuinus eſſe debeat, eſt amarus, leviter aromaticus, non acerbus, nec auſterus; (uti eſt ille *gallarum, nucum cupreſſi, pruni ſylveſtris* & *hortenſis* & quodammodo *hippocaſtani)* *odor,* odor eſt leviter aromaticus, inſtar corticis cinnamomi fere effœti, in quo ſuperatur a *nucibus cupreſſi* & magis adhuc a *cortice caſcarillæ* & *chamomillæ*, reliqua vero, quæ ſupra produximus, vincit longe atque ſuperat.

§. XV.

Cortex Hippocaſtani chinæ ſuccedaneum *Cortex hippocaſtani*, ſ. *caſtaneæ equinæ* a Dn. *Joh. Jac.* ZANNICHIELI Pharmacopœo Veneto eruditiſſimo, *in Epiſtola ad Illuſtrem D. Pontederam de facultatibus Hippocaſtani Venet. 1733. Italico ſermone edita*, pro *ſuccedaneo corticis peruviani* omnibus numeris abſoluto primum venditus & laudatus fuit. Dein etiam D. D. MOEHRINGIVS *Vol. 5. Ephemer. Nat. Cur.* uſum hujus *corticis* tam in febribus, quam illis ſuccedente hydrope, & alii plures ad experiundum commendarunt. Primus illum dedit fœminæ febre cum vomitu bilis, capitis dolore, ſiti ardentiſſima & anxietate correptæ, & quidem finito paroxyſmo ad drachmas duas, aquæ cardui benedicti unciis iv. infuſas, egregiusque ſubſecutus ſpem non fefellit ſucceſſus: poſt tres enim doſes fermentum febrile ſine alia medicamenti ope, & ſine ulla ſtomachi injuria domitum fuit, alvo ſemper leniter aperta. Iterum, ut probatius medicaminis experiretur vim, dedit aliquot doſes ad recidivam avertendam. Plura inſuper *febres curat,* variis in Noſocomiis inſtituit experimenta, probatumque ſemper contra febrim ſine ulla exceptione, deprehendit

hendit medicamentum; inſignem exeruit efficaciam non ſolum contra febrem intermittentem ſimplicem, ſed etiam tertianam duplicem, quin imo pleuritidem, quoties propinaverit cum antipleuritico quodam junctum; nec non adverſus vomitum materiæ porraceæ, torminibus ac doloribus in ventre ſæviſſimis ſtipatum, cum diaſcordio Fracaſtorii ſi ſociaverit, præſtantiſſimarum ſatis ineſſe virium perſpexit.

§. XVI.

Utpote amarum roborans.

Bene ſe hucusque habent omnia: Quamvis enim inter omnes, qui vel altius inveſtigandæ vegetabilium naturæ, vel ſanandis ſuam navant operam morbis, conſtet, quam poteſt, luculentiſſime, omnia fere amara, ſalina (ut *ſal ammoniacum, tartarum vitriolatum*), & roborantia ſub certa methodo febres non admodum periculoſas, nec caro vel aliis ſymptomatibus ſonticis contumaciores fugare poſſe, prout totus WERLHOFII obſervationum liber teſtatur: Fautores tamen quorumvis aliorum ſpecificorum in caſibus intricatis *cortici* palmam relinquere coacti ſunt. Quod ingenue ac liberaliter fatentur minime contemnendo exemplo MVYSIVS, qui *ſal ammoniacum*, & MORTONIVS, qui *chamomillam* pro febrifugo primum cortici pari, experientia vero melius edocti, longe inferiori habuere. Nam apparet e comparatione analyſium chymicarum, *corticem hippocaſtani* adhuc aliquatenus differre a *cortice chinæ de china*. Licet enim laudatus Autor dicat, ſe eadem ſub iisdem conditionibus inſtituiſſe experimenta cum utroque cortice, & eundem utrimque prodiiſſe effectum: differentia tamen ſat magna inde elucet, quod

differt a china,

hoc probat analyſis

quod prior ex uncia una olei fœtidi & ſalis eſſentialis unciam dederit dimidiam, cum in deſtillatione *corticis peruviani* nec ſalis eſſentialis mentio fiat, nec phlegma, ut in *cortice hippocaſtani*, fuerit inſipidum, ſed acidum. (§. 7.) Inſuper ex uncia una *corticis hippocaſtani* drachmam ſemis ſalis fixi accepit ZANNICHIELI; e *corticis* vero *Peruviani* unciis quatuor & ſemis eadem modo quantitas educta fuit. (ibid.) Diſparitas eventus proceſſuum exhibitorum coram Academia Regia Pariſina & Dni. ZANNICHIELI eodem fundamento nitetur, quo illa ejusdem Academiæ & BOEHMERI vel NEVMANNI (§. 8. & 10.)

Corticis hippocaſtani oleum fœtidum & ſal eſſentiale.

Sal fixum.

§. XVII.

Tinctura acerbiſſimi ſaporis.

Tinctura *corticis hippocaſtani* cum Alcohol vini extracta ſaporem efficit acerbiſſimum; cum Tinctura *corticis Peruviani* linguæ applicata leniter tantum adſtringat. Sal quoque amariſſimum prodiiſſe, citatus Autor ſcribit e ſolutione *corticis hippocaſtani* in aqua & ejusdem inſpiſſatione lentiſſima, & quidem ex uncia ſemis *corticis* drachmam ſemis, quantum, ſi examinabis ad pondus, nunquam ex *cortice Peruviano* redibit. (v. BOEHMERI *Diſſ. de Cortice Caſcarill. p. 30. n. 4. & 5.)*

Sal amariſſimum

§. XVIII.

Experimenta cum cortice hippocaſtani ſunt reiteranda.

Ex quibus merito ſequi cenſeo, plura adhuc in Noſocomiis, vel ſaltem iis in locis, ubi honor & Medici fama, qua plurimum ſtat in reficiendis ægrotis, non adeo periclitatur, inſtituenda eſſe experimenta, ſumma tamen circumſpectione & cautione adhibita, paratisque ante adverſus quemcunque ſiniſtrum medelis eventum, ne ſalutaris quæ dicitur ars diſpendio

&

& decremento humanæ vitæ impia capiat & nefanda incrementa: priusquam huic præ peruviano palmam deferamus cortici, tutumque publice illum renunciemus ac certiſſimum medicamentum. Neceſſitate tamen, ut morbo adhibeatur pellendo, forte urgente, aut, ubi degimus, plane non venali, aut nimio ſaltem Peruviani ſtatuto pretio, ſubſtitui demum, aut, libentius quod ſuaſerim, decantata ſubinde ſpecifica poterunt ſubrogari.

§. XIX.

Cortex Fraxini ab HELVIGIO in Diſſertatione de *Quinquina Europæorum, Gryphiſwaldæ 1712.* habita, ſubſtituitur *cortici chinæ.* LENTILIVS addidit *gentianæ radicem* bono cum ſucceſſu. GEOFFROYVS vero *l. c. Sect. II. Tom, V. p. m. 363.* breviter, ſed nervoſe admodum dicit: *Quelques uns diſent que cette ecorce eſt febrifuge, & ils la ſubſtituent au Quinquina, mais mal a-propos.* Saltem ille non convenit in principiis conſtitutivis cum *cortice chinæ: Fraxini* enim *cortex* eſt acer, & magis ſimul adſtringens, liquores ex eo educti per deſtillationem magis ſunt auſteri, quid? quod auſterrimi, & acres, quam illi, qui in noſtri *corticis* prodeunt deſtillatione; longe inferiorem quantitatem etiam ſalis continet alcalici: E libris enim quinque *corticis fraxini* prodeunt tantum drachmæ duæ & gr. XLV. e *corticis Peruviani* vero unciis quatuor & ſemis, drachma ſemis, quod computatione facta in libris quinque, plus, quam quadruplum efficit, elicitur. Quid igitur de eo ſit ſentiendum, itidem dictabit §us præcedens.

Cortex Fraxini

chinæ ſuccedaneum

exhibet deſtillatione liquorem auſterum

ſal alcali parum

§. XX.

Sal fixum acre, Sal *fraxini* fixum eſt inſigniter acre & cauſticum: Sal *corticis Peruviani* vero nonnihil ſalſum, nec adeo acre eſt. Illud igitur, licet per particulas ſulphureas & acidas, nec non terreas in magna quantitate præſentes, in quendam quaſi tartarum ſive ſal eſſentiale in ipſo cortice mutatum ſimulque temperatius redditum ſit, ibi *non in omnibus caſibus chinæ ſubſtitui poteſt.* nocebit, ubi acrimonia major obeſt, adeoque non omnibus in caſibus, in quibus *cortex Peruvianus* dari poteſt, (§. 5.) præberi poterit. Sententiæ noſtræ ſubſcribit Clariſſimus LINNÆVS *in Diſſ. Harderovici, ſub Præſidio Jo. de Gorter* habita, *p. 21.* dicens: *Fraxini cortex, chinæ ſuccedaneum longe inferius.*

§. XXI.

Cortex pruni ſylveſtris febrifugum. *Cortex pruni ſylveſtris* febrifugus, eſt experimentum ani cujusdam, de qua B. D. NEBELIVS *in Actis Nat. Cur. Vol. 5.* refert, quod eo ægrum quendam febre intermittente laborantem, adhibito prius incaſſum *cortice* in aqua decocto, largiusque & quaſi bacchanaliter hauſto, priſtinæ reddiderit ſanitati: Efficacitatem anilis medicamenti, atque vires eo magis jactant, quia incaſſum ante *cortex* adhibitus fuerit *peruvianus.* Tantum vero abeſt, ut huic, quod nomine ipſo quibusvis prudentiſſimis ſuſpectum habetur medicamen, noſtrum adjiciamus lapillum, ut potius jure dubitemus, *peruvianum* neque decenti modo, neque ſufficienti quantitate depellendo morbo fuiſſe oppoſitum. Cum occaſio mihi defuerit, corticem hunc deguſtandi, & aliis experimentis ſubjiciendi, noto ſaltem, quod, cum cortex pruni hortenſis adeo auſterus & acerbus ſit guſtatu,

ſtatu, (§. 14.) majori adhuc jure hoc a *cortice pruni ſylveſtris* expectari poſſit, adeoque quicquid præſtiturus, acerbitate ſua ingenti, nec aliis principiis naturæ humanæ convenientibus, mitiorique effectu eam levaturis, quæ *cortex Peruvianus* vel *Caſcarillæ* poſſidet, effecturus. *agere præſumitur virtute adſtrictoria.*

§. XXII.

Nuces cupreſſi a LANZONO Ferrarienſi, ni fallor, Medico, in *Ephemer. Nat. Cur. febrifugæ* compellantur, & *ſuccedanei* loco allegantur. Et has ſane *cortici pruni ſylveſtris* & *gallis* præferrem: In ſe enim balſamicam quandam, fere therebinthinaceam & reſinoſam ſubſtantiam, teſtante earum deſtillatione; & ſimul multum ſalis alcalini fixi & volatilis, una cum oleo, partim flavo & fluido, aquæ ſupernatante, partim ſpiſſo inſtar pinguedinis & ſubſidente, condunt. *Nuces Cupreſſi febrifugum. Deſtillatione præbent multum ſalis alcalini fixi & volatilis oleumque.*

§. XXIII.

A particulis balſamicis, odore ſeſe manifeſtantibus, mutuantur hæ *nuces* virtutem quandam leniter anodynam, ſpaſmis, febrium fomitibus, contrariam, & ſimul ſtomachicam. Balſamica vero febribus valde eſſe adverſa, didici e R. Patris LABBAT *Itinerario Indiæ occident. p. 318.* ubi de balſamo de copaiva genuino prædicat, quod fidem illi fecerint honeſtiſſimi homines, quod ſtupendis ex balſamo curationibus feliciſſime functi fuerint, ita, ut trium aut 4 doſium vim ſuſtinere febris vix valuerit; ſufficere pro doſi guttas v. vel vj. patellæ dimidiæ juſculo plenæ inſtillatas, atque ſub initium paroxyſmi febrilis, aut in febribus continuis binis ante paſtum horis propinatas. Exiguæ hæ doſes, *Balſamicis particulis agunt ſicut balſamum de copaiva febres curat exigua doſi,*

ita reiteratis vicibus nuces cupreſſi.

intra diem & noctem tantum bis repetendæ monſtrant, non in nucibus cupreſſi adeo magnam adeſſe quantitatem explicitæ balſamicæ ſubſtantiæ, cum hæ ad drachmam, & de quatuor horis in quatuor horas præbendæ ſint, adeoque pluribus exhibitionibus & principio ſimul adſtrictivo idem fere, cæteris paribus, præſtari, ac balſamo quodam, ſi nempe magis ſit adſtringendum, quam ſimpliciter roborandum.

§. XXIV.

Propter auſteritatem chinæ poſtponendi.

Auſteritas tamen harum *nucum*, inſigniter major, quam *corticis chinæ*, facit, ut eas huic & *cortici caſcarillæ* poſtponamus, & iterum iterumque *Electuarium Hoffmannianum* (§. 5. n. 4.) ex optimis febrifugis, ut *chamomilla* & quandoque *cortice caſcarillæ*, *cortice chinæ*, *centaurio minori*, concinnatum, commendemus.

§. XXV.

Gallæ febrifugum.

Gallæ aliquando ſatis magnum in mundo Medico efficiebant ſtrepitum, ſed ſine notabili conſequentia. Scilicet ſocius quidam Academiæ Regiæ Gallicæ Dn. RENEAVME orationem habebat coram Academia dicta, d. 30. April. 1710. de *gallarum virtute febrifuga*, & Monumentis ejusdem commentariolum quendam Anno 1711. inſerebat, in quo tam ſua, quam HOMBERGII, inſignis Chymici, experimenta referens, modum iis utendi, & cautelas quasdam revelabat. Præmiſſis nempe generalioribus, ut Venæſectione (quæ in noſtris oris non adeo eſt neceſſaria in febribus intermittentibus) & purgatione, dari jubet drachmam ſemis, usque ad drachmam unam, & quidem in principio paroxyſmi, vel ſub forma pulveris vel boli; poſt paroxyſmum vero

in forma pulveris vel boli.

vero ſingulis quatuor horis; ſi alvus feretur, quod ordinario fere fit, clyſteribus illa ſolveretur.

§. XXVI.

Cum ipſe hujus remedii Inventor vel potius Reſtaurator fateatur, in illis præcipue febribus intermittentibus *gallas* tantum uſui eſſe poſſe, quæ proficiſcantur a nimis relaxato ſtomachi tono: patet, non omnibus febribus (§. 5.) in quibus *cortex chinæ* adhiberi poteſt, accommodam eſſe hanc medelam; ſed ſolum, ubi adſtrictione majori opus eſt. Exinde certiſſima in promtu eſt ratio, cur a Medicis non amplius, niſi forſan quandoque in dato caſu & in declinatione dyſenteriæ, & a vetulis vel circumforaneis quibusdam adhibitæ fuerint. *in ventriculo relaxato*

§ XXVII.

Neque ſapor, neque odor, neque deſtillatio chymica quid deprehendit volatilis aut balſami in gallis; contra vero multum terræ & olei fixi, pauco ſale ammoniacali & fixo admixto condium, reſolutione iſta recluſum, pluribus pateſcit. *harum analyſis.*

§. XXVIII.

Gentiana prius ad noſtras, quam per mare *cortex* fuerit adveɫus oras, pro certiſſimo a multis habebatur febrifugo, adeo, ut B. *Dan.* LUDOVICI *in Pharmac. moderno ſæculo appl. p. 13.* ſolam *gentianam* tantillo *nucis vomicæ* (quæ vero nobis merito ſuſpecta eſt) vel junctam olim tam certum, ut nihil ſupra, medicamentum præſtitiſſe, longeque efficacius, quam *corticem chinæ*, qui nimis plerumque, quid? quod maximo comparandus pretio, ejusque *Extractum* iſti, quod e *Zedoaria* & *Gentiana æquipollet chinæ*

cortice peruviano paratur, æquipollere, ſcribat, ſi modo ob horrendum, quem vocat, ſaporem ubique adhiberi poſſet.

§. XXIX.

modus aſſumendi.

Eundem vehementem & amariſſimum ſaporem, indeque provenientem nonnunquam æſtum internum alii accuſant, & ea propter progredientes a ſcrupulo uno ad drachmam ſemis ſenſim pedetentimque, quousque fert ægri conſtitutio, dictam radicem præbent. A priori ex principiis ejus jam patet, quod ob principium oleoſum, in quod tota fere deſtillatione reſolvitur, hujus exſuperantia, nihil cum fere, aut admodum terræ acidique paullulum, multoque adhuc minus alcali ex radice ſuppetat, maſſam ſanguineam in turgeſcentiam inſignem & motum inteſtinum valde auctum conjicere debeat, unde, vel *chinæ* commixtam in parciori doſi, & quidem in febribus minus æſtuoſis, vel in decocto ad uncias ſex ſingulis quatuor horis præbendam eſſe, optimi ſuadent Practici. Commixtionem cum *cortice chinæ* eam ob cauſam & ratam habemus & laudamus, quia radix *gentianæ* ſimul diuretica & diaphoretica eſt, præter virtutem, qua gaudet, ſtomachicam. Formulas vide in HERRMANNI *Cynoſura Mat. Med. p. 95. 96.*

chinæ admixtum

§. XXX.

flores chamomillæ febrifugi

Chamæmeli flores poſt MORTONVM (§. 16.) ARCHIBALDVS PITCARNIVS in Diſſertationibus ſuis Medicis Edit. quartæ Hagienſis 1722. febrem intermittentem non minus feliciter tollere, ſcribit, quam tollit ipſe *Peruvianus cortex*, cum tamen ambo diverſis longe ſint

inſtructi

inſtructi viribus; putat hoc ipſum poſterius evincere per experimentum mutationis ſyrupi violarum e cœruleo in viridem, ſolutionis heliotropii ex aqua factæ in colorem rubrum, & ſolutionis ſaturni in colorem album, mediante decocto chamomillæ factæ. Subinnuit hiſce, *corticem Peruvianum* eosdem effectus non prodere; ſed fallit & fallitur vir alias eximius: ſalis enim ſalſi, acidi & alcalici notas etiam exhibet *cortex noſter*; (§. 7. & 44.) Licet in hoc recedat a *floribus chamomillæ*, quod hi oleum præbeant per deſtillationem cum aqua ſubtile æthereum ſ. eſſentiale, & in proportione partium reſinoſarum & gummoſarum, nec non ſalinarum & oleoſarum differant. *examinati reagentibus*

§. XXXI.

Dant ſcilicet *flores chamomillæ vulgaris* ex libra una ſcrupulum unum olei eſſentialis, docente NEVMANNO *in prælect. Chym.* (*Romana* adhuc plus hujus olei fundit) ſpiritum urinoſum ſalis magna quantitate & nonnihil ſalis volatilis ſolidi, multumque phlegmatis acidi. Spiritu vini extracti modo laudato Autori dederunt ex uncia una, drachmas tres Extracti reſinoſi primi, quæ quantitas paulo major eſt, quam reſinæ a GEOFFROYO (§. 10.) e *cortice Peruviano;* multo vero major, quam a BOEHMERO & NEVMANNO ex *eodem cortice* extractæ. Extractum gummoſum primum in *chamomilla*, tam *vulgari*, quam *romana*, circiter dimidium ponderis florum; Extractum vero corticis Chinæ ne quidem quartam partem totius exhibet. *deſtillatione* *extractione*

§. XXXII.

Convenit igitur fere quoad reſinam *cortex* cum *comparati cum china*

floribus

floribus hiſce; ſuperatur vero oleo & Extracto gummoſo, quod ſal eſſentiale in ſe continet, ut in omnibus plantis; Proin neceſſe eſt, ut magis reſolvant partibus ſuis ſubtiliſſimis ſeſe interponendo inter partes humorum noſtrorum, & ob ſpiritum ſuum, rectorem ſuaviſſimum, nervos & ſpiritus animales demulceant, parteque gummoſa & ſalina pituitoſum coagulum reſolvant, interim reſina partes, ſi qua fuerit opus, roborante.

§. XXXIII.

interdum plus china efficiunt

Fit ſine dubio ob egregias haſce dotes, ut, nonnunquam *cortice peruviano* incaſſum adhibito, hi *flores* malum depellant; non, quod *cortex* in ſe inferior ſit viribus, ſed quod ſpaſmi pertinaces & in conſuetudinem quaſi degenerantes, totum ſyſtema nervoſum, adeoque & nervos, arterias, aliaque vaſa inſtar laqueorum ambientes, maleque afficientes, anodyna & demulcente horum florum vi (§. præced.) tollantur. Dantur autem vel in pulvere ſoli, ad ſcrupulum unum pro doſi,

modus exhibendi.

vel mixti cum ſale abſynthii, antimonio diaph. magneſia rubra TEICHMEYERI, & cortice chinæ, addendo electuario, ſupra indicato, pro re nata Nitrum, ſal ammoniacum, & id genus alia; & Nitrum quidem, ſi febres nimis ſint æſtuoſæ, &, ut turgeſcentia, quæ forſan a principio eorum ſulphureo alcalino provenire poſſet, ſimul cum calore febrili temperetur. *Joh.* RAYVS ſuccum chamomillæ, ad tria vel quatuor cochlearia cum aliquot guttulis ſpiritus vitrioli in juſculo carnis, ad omnes febres intermittentes, paulo ante acceſſionem datum, commendat, & aſſeverat, vel ſtatim

cohiberi

cohiberi paroxyſmum vel non multo poſt aſſumtum medicamen.

§. XXXIV.

Tandem ad *caſcarillæ* accedimus *corticem*, qui hodie multis polychreſtæ medicinæ habetur loco, & quidem non immerito; de hoc enim itidem, ut de *cortice peruviano*, prædicari poteſt, quod in pluribus, quam intermittentibus febribus, & in aliis ſimul morbis cum fructu uſurpari poſſit. Poſtquam APINVS, Medicus Herſpruccenſis, primum in febre epidemica Herſpruccenſi 1694. & 1695. virtutem hujus corticis mirificam deprehendiſſet, cum antea ſatis obſcura & minus nota eſſet ejus vis febrifuga, catervatim Medicos in experiundis his viribus ſequaces ſui habuit. Non autem ſolum in febre intermittente tertiana, tam ſimplici, quam duplici, ſed etiam in dyſenteria & petechiali febre intermittenti, illi epidemicæ ſupervenientibus, efficacem ſe præbuit *cortex* hicce: aucta ſolummodo in petechiali febre doſi, quæ alias ad drachmam unam aſcendebat, & quidem bis, ter, vel quater, pro varietate circumſtantiarum in ſingulos dies. Extractum etiam bono cum ſucceſſu uſurpatum fuit, ſequente ordinario leni, vel majori quantitate propinata, ſat copioſo ſudore.

Cortex caſcarillæ remedium in intermittentibus, dyſenteria & petechiali forma pulveris & extracti,

§. XXXV.

Reſtringunt recentiores uſum *corticis Caſcarillæ* ad febres illas ex malignis, quæ intermittentium ludunt ſcenam, quæ ſcilicet epidemicæ ſunt, anomalæque, ac interdum dyſenteria ſtipantur; in vere & per ſe malignis vero contagioſisve illum contraindicari ſcribunt. Cæterum in pleuritide & peripnevmonia opem

recentiores Caſcarillam in malignis diſſuadent.

medetur pleuritidi ac peripnev-moniæ.

etiam eximiam tulit *cortex* modo laudatus, quod *cortici peruviano* non conceſſum eſt, ob deficientes illi ætherei olei, quod in *cortice caſcarillæ* partem totius facit centeſimam vigeſimam octavam, particulas ſubtiliſſimas, quæ in tanta quantitate partium terrearum, aquearum, reſinoſarum, gummoſarum & ſalinarum diffuſæ, non poſſunt ſanguinem exagitare, niſi nimia quantitas præbeatur, vel ſubjecta ſint ſicciora & calidiora, ubi in parciori doſi illum exhibere convenit.

§. XXXVI.

differentia chinæ & caſcarillæ

ratione partium conſtituentium

Si igitur comparatio inter *utrumque corticem* inſtituatur, præter olei ætherei particulas *cortex caſcarillæ* veram reſinam ſive potius balſamum continet; *cortex* vero *Peruvianus* magis terram quandam ſulphuream, veram, & omnibus numeris abſolutam, reſinam non præbentem; quantitate vero ſalis alcalici hic longe ſuperat illium: In illius enim libra tantum ſcrupulus unus; in hujus vero eadem quantitate ſcrupuli duo cum granis ſex continentur, quod idem valet de parte gummoſa, quæ ſal eſſentiale in omnibus plantis maximam partem condit, hæc in *cortice peruviano* facit quartam partem, cui adhuc trigeſima ſecunda deficit, ſive ſeptem trigeſimas ſecundas ($\frac{7}{32}$) in illo autem *caſcarillæ* fere ſextam cum ſemiſſe partem tantum, cum contra ſubſtantia reſinæ æmula magis pauper ſit *peruvianus* altero, dat enim prior ex unciis iv. unciam ſemis, hic ex totidem unciis drachmas ſex.

§. XXXVII.

ſal alcali

Non vero putandum eſt, has analyſes veram ſalis alcalici quantitatem eruere aptas; nam reſinoſæ partes

tes ſemper aliquot grana, & gummoſæ (§. 36.) plus, quam drachmam ſemis, docente Cel. BOEHMERO, cui præfata maximam partem quoad ipſam Analyſin debemus, ſuppeditant, ſi ſcilicet igne aperto concrementur. Idem valet de particulis oleoſis in *cortice caſcarillæ*: Reſina enim adhuc portiunculam quandam olei quaſi ætherei ſive balſamici non adeo empyrevmatici per deſtillationem cum quadruplo cornu cervi uſti præbet, & quidem ex uncia una reſinæ drachmam olei.

§. XXXVIII.

De *cortice chinæ* nulla quidem determinata experientia adeſt, quod partes illius gummoſæ ſ. Extractum aquoſum per incinerationem dent ſal alcalicum: Probabile tamen fit ex eo, quod ex omnibus fere plantis per ſolutionem cum aqua & lenem legitimamque inſpiſſationem, temporis ſaltem tanto, quantum requiritur, conceſſo, ſal obtineatur eſſentiale, quod ſemper pro parte conſtituente, ſive potius pro parte potentia tali agnoſcit ſal alcalicum. *in chinæ probabile.*

§. XXXIX.

Si tam in his, quam omnibus aliis reſinoſarum & gummoſarum partium extractionibus poſt affuſam prius, & dein, decoctione facta, decantatam aquam ſpiritus vini alcoholiſatus, vel vice verſa, aqua poſt ſpiritum affundatur, quantitas Extractorum primorum & ſecundorum ſemper variat, quod prius a calore vel igneis particulis aquæ junctis, poſterius ab aqueis ſpiritui ſemper fere adhuc commixtis (alias enim non eſſet humidus) provenit; quæ vero penitius perſcrutari, *Extracti quantitas variat*

 altius-

altiusque inveſtigare, cum noſtra parum in præſentia referat, alio tempore in examen revocanda reponemus.

§. XL.

His ſatis ſuperque expoſitis, & ordinis, quem conſtituimus, & temporis, ut ad finem properemus, ratio expoſcit, ut inquiramus quomodo febrifuga ſuperius recenſita & in ſpecie *cortex peruvianus* in corpus agant humanum. Crambem ne bis coctam apponamus, quæ jam ſatis de quibusdam prolixe in medium allata ſunt, non repetemus, ſed potius oſtendemus, nec adſtringendi tantum virtute, ut alii volunt, nec qualitate quadam occulta, quod aliis placet; ſed proportione partium conſtituentium, cum experientia practica comparata, niti febrifugam qualitatem.

virtus febrifuga nititur proportione partium

§. XLI.

febris proprietates

Intemperiem humorum calidam univerſalem a viſcido & illi involuto acri potiſſimum ſulphureo alcalico (§. 26.) *dependentem*, nominavi FEBREM. (§. 2.) Quoniam autem hic conceptus multis minus videbitur adæquatus, pauciſſimis illum explicabo. *Calidam* dico *intemperiem*, nec ſimul frigidam, quoniam frigus febribus non adeo eſt eſſentiale ac calor, ſaltem in aliquibus febribus acutis non incurrit diſtincte in ſenſus; *Viſcidum* vero in omnibus febribus, non in ſolis intermittentibus adeſſe debere, evincit 1) *ipſa acrimonia*, quæ aperte febrem & ſpaſticam nervorum & vaſorum omnium contractionem, a B. HOFFMANNO *Med. rat. ſyſt. T. IV. P. I. Sect. I. p. 5.* pro cauſa fundamentali febrium, licet paulo anguſtius & minus adæquate, aſſertam, efficit: quippe quæ, cum nec acrimonia ſine concentratione, nec

intemperies calida

viſcidum in omnibus febribus probat.

acrimonia

nec concentratio ſine viſciditate relativa ad ſtatum ordinarium Maſſæ ſanguineæ eſſe queat, viſciditatem adeſſe debere indigitat. Palam idem oſtendunt 2) *ſymptomata* febribus familiaria, ut *frigus* in plurimis febribus præſens, *pulſus* celer, frequens, & ſub initium plerumque contractus, parvusque, *appetitus defectus*, *anxietates præcordiorum*, & quæ ſunt alia. *Frigus* ſupponit impedimentum reſolutionis partium ſulphurearum ſanguinis, hoc vero, cum motus maſſæ ſanguineæ progreſſivus, durante vita, non ceſſet, neceſſario cohæſio major in cauſa eſſe debet. Partibus maſſæ ſanguineæ ſulphureis non reſolutis, partes igneæ in decenti copia non liberantur, fibræ ergo ob levius intermedium oblatum ſeſe contrahunt & frigus tremulum ſic cooritur. *Pulſus*, quo diximus, modo ſe exerens, vel ab incitante vel ab reſiſtente in vaſis præcipue capillaribus (quod fere eodem recidit) proficiſcitur: ſi primum, acre eſt, adeoque ſecundum (nr. 1.) itidem viſcidum ſeu ſpiſſum: ſi reſiſtentia in vaſis motum vel impediunt, vel in reliquis canalibus hydraulicas ſecundum leges augeant, nulla ratio poterit afferri alia, quam quod ſtagnatio, vel ſaltem cohæſio partium fluidi inter ſe & cum parietibus major, i. e. viſciditas adſit. *Appetitus defectus* provenit a menſtrui ventriculi depravatione, & ſpirituum qualitate, & motu vitiato: horum vero vitiorum quæ cauſa, quæ ratio poterit proferri alia, quam viſciditas? licet non negem, unius effectus plures eſſe poſſe cauſas. *Anxietates præcordiorum* ab eadem reſiſtentia vel irritatione, quæ pulſum præternaturaliter mutat, deduci poſſunt. *Plethora* ipſa

ſymptomata familiaria

frigus

pulſus

appetitus proſtratus

anxietas præcordiorum.

tam ſibi relicta, quam per ſpirituoſa, aromatica, animi pathemata &c. commota, ſine ſpiſſitudine, quid? quod acrimonia non diu ſubſiſtere poteſt, præſertim ſi ad cauſam febrium concurrere debeat, nam vitiatur ſtatim proportio partium Maſſæ Sangu. erga totum, vaſa quando non decenter contrahuntur, E. nec contenta debito modo propelluntur, motumque progreſſivum, inteſtinumque, nec non ſe- & excretiones depravari neceſſe eſt.

§. XLII.

Acre præſens probatur ſymptomatibus,

cauſis occaſionalibus.

Acre ſive irritans in febre adeſſe indicant 1) *ſymptomata* a B. HOFFMANNO *l. c.* adducta, præſertim vero *urina tenuis & aquoſa, inclinatio ad vomitum, æſtus, ſitis, dolores pungentes, lancinantes, tendentes*, & id genus alia, 2) *cauſæ occaſionales, ut alimenta acria, bilis* extra vaſa ſua propria effuſa, *tranſpiratio* inſenſibilis, partes ſalino-ſulphureas alias e ſanguine eliminans, impedita, *vigiliæ* & *animi pathemata* nimia, ſpirituum & humorum temperatam craſin turbantia, & infinitæ aliæ.

§. XLIII.

Cauſa febris aliis vocatur cacochymia.

Redditam (§. 2. & 41.) febris cauſam alii exprimunt per *cacochymiam*, ſ. intemperiem bilioſam & atrabilariam; conſultius vero duxi, eam generico nomine exprimere, quoniam cum prioribus cacochymiis ſæpe complicatur pituitoſa & melancholica. Calor & frigus, pulſus celer & frequens ſunt conſequentia cauſæ febris, adeoque inter ſigna ejus recenſenda ſunt, quæ, ut definitionem ingrediantur, minime, quod probe ſcio, neceſſe eſt, niſi calorem univerſalem ob genus morbi

morbi, intemperiei nimirum conſtituendum allegare velis.

§. XLIV.

Viſciditatem immediate in totum quidem non tollere poteſt *cortex Peruvianus*, magis vero *cortex Caſcarillæ*, *chamæmeli flores*, *cortex fraxini* & quodammodo *gentiana*; deſtituitur enim ille oleo æthereo & reſina (§. 32. & 35.) viſcidi ſulphurei in M. S. reſolventibus, quæ in duobus prioribus adſunt; deſtituitur etiam ea acrimonia, qua *cortex fraxini* & *radix gentianæ* plurimum pollet (§. 19. 20. & 29.) attamen tam ob acidas partes, (§. 7.) quæ ſeſe etiam ex chartæ cœruleæ in rubram mutatione per infuſum illius produnt, reſolvit partes terreas M. S. quippe quarum proprium reſolvens eſt acidum; quam ob gummoſas & illis inhærentes ſalinas in majori adhuc quantitate, quam in *cortice caſcarillæ* præſentes (§. 7. & 36.) pituitam complicatam (§. 43.) incidit. Accedit, particulis ſuis amaris & leniter auſteris aromaticisque fibras tam vaſorum, quam membranarum & aliarum partium roborare *peruvianum*, adeoque, aucto etiam remotiſſimarum partium elatere, ſine eo, ut more aliorum febrifugorum ſanguinem nimis rarefaciat, ſed potius temperet per dicta, melius quandoque a natura reſolvi viſciditatem, quam ab aliis per ſe reſolventibus calidioribus. Præſtat hoc natura per motum progreſſivum & inteſtinum, hincque ſecretionem ſpirituum & humorum laudabilium omnium expeditam, bile ſimul & ſucco pancreatico per dictas corticis partes acuatis; & hac ratione, natura ſano ſenſu intellecta, omnes fere febres

Febrifugum viſciditatem corrigit pro diverſitate partium conſtituentium,

natura reſolvit viſcidum,

bres niſi vires illius nimium ſuperent, ſanare poteſt. Ne vero penitus nobis excidiſſe videatur, monendum etiam, particulas ſalis ſalſi ſ. enixi (§. 7.) etiam ad excretiones humorum noxiorum ſtimulare, & alcalicas volatiles oleoſas cum reliquis combinatas diaphoreſin lenem producere.

partes ſalinæ excretiones promovent.

§. XLV.

Alcalico-ſulphureum principium conſtituit acrimoniam febris.

Acrimonia febris, utplurimum eſt alcalico-ſulphurea, vel ſaltem ſuperat ſemper principium hoc acidum, licet hoc in ſatis magna in nonnullis adſit quantitate, ut in quartana; non poſſunt vero ſe deſtruere duo hæc ſalia contraria ob ſulphureum principium largius interpoſitum; exemplo cantharidum per aliquot annos cum ſpiritu nitri effervescentiam lentam patientium, & oleoſorum effervescentibus hiſce ſalibus affuſarum.

§. XLVI.

Probatur analyſi ſanguinis febricitantium,

& humorum excrementitiorum.

Alcalicum ſal febris acrimoniam quoad maximam partem efficere, probatur ex eo, quod deſtillato ſanguine febricitantium, longe major quantitas ſalis volatilis urinoſi obtineatur, quam ex ſanguine ſanorum; & quod humores omnes excrementitii largiorem ejus exhibeant quantitatem, quam ſanguis ſanus vel lac; humores autem hoſce cauſam febris mediatam proximiorem (§. 2.) generare, ex eo apparet, quod ſemper in febre aliqua eorum retentio occurrat.

§. XLVII.

qui ſupprimuntur.

Scilicet aut *tranſpiratio* inſenſibilis, aut *ſudor*, aut *alvina excretio*, aut *urina* ſupprimitur. Primum fit per aeris intemperiem, ſecundum & tertium per reliquarum

quarum rerum nonnaturalium, quæ etiam, licet minus directe, tranſpirationem impedire poſſunt, abuſum.

§. XLVIII.

Acrimoniæ huic ſpecificæ (§. 45.) contraria eſt acida in *cortice peruviano.* (§. 7. 44.) mutabitur ergo ab ea in balſamicam, ſali medio propriam indolem, (quantum ſcilicet in corpore humano ob ſulphur interpoſitum poſſibile eſt,) conſequenter effectus cauſſæ hujus, (§. 42.) & quodammodo etiam (41. no. 2.) ceſſabunt.

Acrimoniam corrigit acidum corticis chinæ

§. XLVIIII.

Sed aciditas ſola hos bonos effectus non præſtat: ſpiritus enim ſive potius phlegma acidum *corticis*, teſte PITCARNIO, tam *peruviani*, quam multorum aliorum corticum, neutiquam per ſe febrem intermittentem fugare potis eſt, licet calorem febrilem reprimere aptum ſit, ut ex uſu ſpirituum acidorum, ſucci citri, limonum, berberum, ribium, ceraſorum, mororum & aliorum in febribus, præſertim continuis, apparet.

Non ſolum,

§. L.

Potius aciditas cum terreis particulis, leniter adſtringentem qualitatem illi conciliantibus, & cum oleoſis, per quæ reſinæ & gummati ſimile illud (§. 10. & 36.) oritur, conjuncta hæc efficit; Emergit nempe inde amarities quædam leviter aromatica & ſtyptica, per quam fibræ nerveæ, antea per humores excrementitios retentos (§. 46. & 47.) extenſæ nimium & relaxa-

ſed terreis & oleoſis partibus mixtum, unde amarities,

tæ, in elatere ſuo iterum firmantur, & hoc facto ad ſe- & excretiones reſtituendas motumque progreſſivum æqualiter intendendum, aptæ redduntur. Amara vero ſola etiam hos effectus dare non poſſunt: deficiente enim leni illis ſtypticitate non adeo roborare partes, nervoſas acidoque non ſuppetente, alcalinum nequeunt temperare humorem (§. 46.) potius contra ob partes ſulphureas, in magna quantitate præſentes, ſanguinem exagitant, exemplo *gentianæ* & *corticis caſcarillæ* (§. 29. & 35.)

cujus effectus roborare.

§. LI.

unde objectio refutatur,

Ex his facile erit, nullo negotio nulloque labore objectiones, quibus *cortex* feritur *peruvianus*, repellere, & propugnaculum, quo, ut minus inter ſalutaria recipiatur medicamina, utuntur, uno impetu dejicere. Rejectis omnibus aliis, quibus jurati hoſtes multis obtrectationibus inſignem ejus extenuant uſum, maximamque partem ineptum & incautum reprobant, & depravatum corticem ſubdolis mercatorum artibus, quæ, quod, licet fruſtra, dolendum, adeo noſtro ſeculo lucripeto invaluerunt, ut non, niſi criteriis ſupra datis, genuinum præ ſpurio & adulterino, integrumque præ corrupto diſcernere, invicemque ſeligere queamus, *Gideonis* HARVEI tantum objectionem, quam in libro *de arte curandi per expectationem*, tradit, huc adducam. Qui errantem omnibusque alienam habet opinionem experimentis, nullam excretionem vel criſin hoc remedium vel datum vel propinatum inſequi, ſine hac vero febres non curari: Ergo nec remedio hocce; coctionem

nullam criſin inſequi

nem etiam deficientem ex urina poſt ejus uſum plerumque cruda colligi poſſe, innuit. Fateor, quod, niſi parallelum in KERGERI febrifugo exemplum præſto fuiſſet, quod nempe hoc ſine ulla expectata coctione, quovis morbi tempore in omni ſexu & ætate, febres plus, quam mille, ut ille aſſeverat, curaverit, & niſi *Franciſcus* TORTI *l. c. p. 430.* me edocuiſſet, quod perpetuum ſit, ab epota *chinachina* urinam copioſiorem reddi, objectio hæc me penitus ab uſu hujus remedii deterrere potuiſſet; ſed inveni dein in artis ad lectum exercitio, ſæpe alvi ſalutare profluvium, ſæpe etiam urinæ & diaphoreſeos auctam excretionem, morbo finem felicem impoſuiſſe.

experientia in contrarium quoad urinam, ſudorem, ſedes.

§. LII.

Roboratur a viris præclaris.

Conſentiunt hac in re viri in re medica egregii plures. Exempli tantum loco adducam B. HOFFMANNVM, WERLHOFIVM, BRVNNERVM, qui diureſi hydropem ſanatam a remedio noſtro obſervavit; *Alexandrum* CAMERARIVM, ALBINVM, RAJIVM, qui a *cortice* recenti præſertim, alvum veluti a ſumto cathartico ſolvi, perhibet. Alii objectioni opponam, quæ tamen ſuo modo huc etiam quadrat, BOERHAAVIVM, FREINDIVM, APINVM, MAVRICEAV, BLEGNY & MORTONVM, qui promotos a cortice menſes & lochia obſervarunt, ut in abſolutiſſimo WERLHOFII tractatu pluribus videri poteſt. Verum quidem eſt, pro circumſtantiarum & ſubjectorum varietate, etiam has excretiones quandoque retardatas vel ſufflaminatas fuiſſe; ſed facile tunc aliis medicamentis illæ iterum priſtinæ

menſium vitia inde orta.

facile curantur.

 ſuæ

ſuæ integritati reſtituentur, ſi cum cautione datus ſit *cortex.*

§. LIII.

obſervanda. Cautiones ipſas & modum exhibendi, recidivas præcavendi, combinationem cum aliis, tempus, doſin & alia obſervanda hic, ſpatio temporis præcluſus, addere nequeo. Inveniuntur hæc in laudatis jam autorum dictorum libris; ſolam partium conſtitutionem, analyſin & comparationem hic proprie paulo fuſius tractare mihi propoſitum erat, alias, quæ MOEHRINGII *hiſtoriæ medicinales* continent, & in *Commercio litterario Norimbergenſium v. g. 1742. p. 2. & 309.* de chinæ uſu extant, obſervationes allegari potuiſſent.

§. LIV.

Monendum hoc unum duco per quam neceſſarium, maximeque proficuum cum B. HOFFMANNO, in febre quotidiana *corticem caſcarillæ* præferendum eſſe *chinæ;* non quod magis adſtringens ſit ille, ut putat Celeberrimus hic vir, refragante principiorum illius contemplatione, (§. 35. & ſeqq.) ſed quod cruditates plures viſcidæ & acres in hac febre adſint relative, quæ paroxyſmorum recurſum citius producant: hæ enim a principio reſolvente & balſamico *caſcarillæ* majus accipiunt remedium, licet differentia ob eam cauſam non admodum magna ſit, ut idem Celeb. Vir conjunctionem amborum in hac febre pro re nata ſuadeat.

caſcarilla in quotidiana præfertur chinæ

§. LV.

Si corpus multis adhuc impuritatibus repletum ſit, æger ſit valde hypochondriacus, aut cachecticus, vel polypis

polypis ſcateat vel inflammatio interna ſubſit, & vires mirum quantum proſtratæ ſint, contraindicatur etiam uſus *corticis peruviani* intempeſtivus; Regula vero etiam hæc ob illam, qua ſuadetur, inter duo mala mitius eſſe eligendum, exceptionem quandam patitur. Vide & cautionem §. 5. no. 7. Quoad ſubjecta in febre tertiana melius hunc *corticem* tolerant Cholerici, in quibus præſertim poſt iram copioſæ bilis per alvum excretiones contingunt; & tam ſanguinei, juvenesque tertiana genuina laborantes, quam phlegmatici & alii infirmi ea notha affecti. Gravidis, cæteris paribus, non nocet.

chinæ uſus intempeſtivas diſſuadetur.

legitimus uſus reſpectu temperamenti.

§. LVI.

Cauſa, ob quam cholericis, & in principio febrium intermittentium, quæ vehementer invadunt, cum intenſo calore, ſiti, virium & appetitus proſtratione, cum remiſſione tamen conjunctarum, adeo belle conveniat hic *cortex*, ſine dubio acido, quod illi ineſt, principio, ſanguinis æſtum temperanti, & amaro fibras relaxatas ſtringenti & roboranti, tribuenda eſt.

cholerici in intermittentibus

§. LVII.

Juvabit denique aliquot eminentiora *corticis peruviani* ſuccedanea coronidis loco commemorare, ut, ſi alia occaſio, dicta uberius tradendi, contigerit, filum continuari & duci eo melius poſſit. Talia ſunt 1) *febrifugum* KERGERI in libro *de fermentatione*, ab eo multis verbis deprædicatum, conſtans ex coralliis rubris, eousque cum cryſtallis tartari tritis, ut pulvis aliquantum amaricans & ſalinus evadat. 2) *Sal ammoniacum* a MVYSIO laudatum. Vide tamen (§. 16.)

eminentiora ſuccedanea

febrifugum Kergeri

ſal ammoniacum

cortex cinamomi,
rhabarbarum,
ſulphur antimonii,
Panacea Gallorum,
Pulv. Alexiph. Rollwagii,
oleum animale Dippelii,
acidulæ,
amara.

3) *cortex cinamomi* a quibusdam Italis pro ſpecifico reputatus 4) *rhabarbarum* a plerisque Gallis ut univerſale fere remedium habitum 5) *ſulphur Antimonii* ultimæ præcipitationis in febribus intermittentibus ante paroxyſmum, propinatum, quod Celeb. D. D. JVNCKERVS extollit. 6) *Panacea Gallorum*, e mercurio dulci pluries ſublimato & cum ſpiritu vini aromatiſato edulcorato conſtans. 7) *Pulvis alexipharmacus* ROLLWAGII 8) *oleum animale Dippelii*, quod teſte Cl. LINNÆO *l. c.* ad gt. xxv. datum, febrem tertianam curavit. 9) *Fontes* nonnulli minerales, uti *Pyrmontanus*, *Egranus*, *Carolini*, *Selteranus* & *Sedlicenſis*, & denique 10) ex *vegetabilium* familia fere omnia evidenter *amara* & *aromatica*, nec non *adſtringentia* & *anodyna*, ut WERLHOFIVS, qui in Hiſtoricis & Medicis Practicis, hujus argumenti capitibus fere omnia exhauſit, teſtatur. Addo ſolum §. 23. noviſſimum eſſe deſcriptum ſuccedaneum.

S. D. G.

Es THOMA plenus virtutibus, inde ſerenus
In vultu, & ſuavis moribus, atque gravis
Doctus es; at nullis ſtrepit iſta ſcientia bullis
Doctor es, at flatus non fovet iſte ſtatus
Te laus ornavit, ſapientia vera beavit
Promeritosque thronos ſcandere juſſit honos;

Symbolum animi conſtantis.

Agrifolium & æſtate urente, & brumâ furente viret.

Sub lemmate.

Semper idem.

Protaſis

Si fera bruma furat, ſi titan ignifer urat,
Non hæc planta ruit, ſed ſtat, ut ante fuit.

Apodoſis

Qualis eras pridem THOMA ſic ſemper es idem
Seu ſors blanda fovet, ſeu fera bella movet.

ita Nobiliſſ. ac experimentiſſ. Dn. Doctorando Amico integerrimo gratulari voluit

JO. GEORG. MICHAEL ACHTEN,
Civis Academicus Erfordiæ.

Du

Du läſt, mein Freund, anjetzt gelehrte Früchte ſehen,
Die uuverdroßner Fleiß Dir hat zu weg gebracht,
Du kanſt nunmehr mit Ruhm nach Hauſe wieder gehen,
Wo Dir ein ſchönes Kind bereit iſt zugedacht.
GOtt laſſe Deinen Fleiß hinfort noch ferner grünen,
Daß Du den Krancken mögſt zu der Geneſung dienen.

Hiermit wolte ſich ein aufrichtiger Freund dem Herrn Doctorando empfehlen

JO. HENRICVS WEDEKIND,
Juris utriusque Candidatus.